

Kern 3490 C 1-16)

547

DE
USU ET DIGNITATE
NEVROLOGIAE.

CONSENSU FACULTATIS ILLUSTRIS,
PRAESIDE
PHIL. FRIEDER. MECKEL,
MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORDIN.

PRO
GRADU DOCTORIS LEGITIME
OBTINENDO
D. XXIX. MARTII MDCCXCIV.

DISPUTABIT
IOANN. FRIEDER. CAROL. STEGMANN,
HALBERSTADIENSIS.

HALAE,
TYPIS CURTIANIS.



DE
UAN ET DIGNITATE
HERALDICA

CONFERNUS TACITUS ALIAS ILLUSTRIES

HERALDICA
HISTORICIS MUNICIPALIBVS

ET CIVICIS INSTITUTIS

CIVICIS DECORATIONIBVS FESTIVITATIBVS

ET CIVICIS HONORES



V I R O
PLURIMUM REVERENDO ATQUE
CLARISSIMO,
IOANNI HEIMBERTO HINZE,
INSPECTORI ECCLESiarum, AC PRAECQNI SACRO
MERITISSIMO ZILLIENSI.

A I R O

PER TENTE RUM KE AS ER NI DO AT CON SE CU RI SU AMO

LOVANIE HE MI NE TY NUE

WHET ON PUCE SE RU MU NU CON SE CU RI SU AMO

NEC NON
PATRI VENERANDO,
IOANNI AUGUSTO THEOPHILO
STEGMANN,
PRAECONI SACRO HEUDEBERIENSI,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS
DICAT

A U C T O R.



NEC NIS

PATER ANTONIUS

JOANNÆ AUGUSTO THEODORICO

SCITOMANN

ERAT CONSILIO SACRÆ MÆNIÆ PRAESES

HAEC CLODORUM PRIMATAS

T H I C

A U D O T A

I.

Studii anatomici contemtores male rei medicae et toti scientiarum ambitui consuluissent videntur, dum, sectiones partium corporis humani et artificio-
fas et solertissimas neglecturi, in id unice incumbe-
rent, ut theorematia prolata non experientiae lapidi-
lydio imponerent, sed sua ratiocinia crederent lapidem
lydium experientiae. Artis nostrae historia docet, hos
quidem contemtores studii anatomici semper et ubique
fuisse *vel* mysticos somniatores *vel* sanioris doctrinae
osores, qui commentis a se fictis excogitatisque adeo
adhaeserint, ut cane peius et angue fugerent lucem et
autopsiam ipsius naturae.

Primi fere, qui anatomiam tunc maxime recen-
tem odio prosequerentur Vatiniano, fuerunt **EMPIRICI**,
PHILINI *Coi* asseclae. Hi vero, praejudiciis coaeta-
neorum popularibus de sanctitate cadaverum irretiti,
abominabantur mortuorum hominum dilacerationem,
ad τραυματικην θεωριαν configentes, dum occasio
adesset: i. e. si luxatio, fractura, hernia, aut vulnus
aliquod tractandum ipsis offerretur, partium tunc
structuram in vivis omnino rimari studebant. ¹⁾)

2.

Deinde **ASCLEPIADES** Bithynus et medici eum
sequentes *Epicurei* neglexerunt anatomen, cum, omnes
corporis functiones ex fortuitis corpusculorum concur-
sibus

¹⁾ *Galen*, de sētis ad eos, qui introduc. p. 12. (Opp. ed. graec.
fol. Basil. 1538. vol. I.) *Id.* de composit. medic. sec. genera, lib. II.
p. 253.

sibus explicaturi, nihil curarent structuram et compagem partium artificiosam. Hinc gravissima, quae vel consciī commiserunt, vitia in determinanda structura partium corporis humani. ²⁾ Methodici quoque, suis tantum communitatibus inhaerentes, nequicquam ad se pertinere, imo nocivam esse vero medico anatomen autumabant: ³⁾ quippe quae facile lumen fallacibus sectae atque fictitiis commentis inimicum proferre poterat. Flocci pependit anatomen recentiorum fanaticorum pater, PHILIPPUS THEOPHRASTUS PARACELSUS, cum lumen naturae ipsi sufficeret, et anatomicam crederet potius cognitionem hominis astralis, seu exemplaris supralunaris, ad cuius instar nostra corpora exstructa fuerint. ⁴⁾ Tantum denique GEORG. ERN. STAHLIUS anatomicam corporis cognitionem a medicina abesse docuit, ut vix quicquam intimioris nexus aut usus ad illam prae fese ferat. ⁵⁾ Quid si enim anima corpus suum, secundum STAHLII sententiam, sibi ipsa struit pro lubitu, et προαιρετως omnibus praesidet functionibus; ecce demum bono inservit intima partium corporis cognitio? Medicus animae affectus et passiones bene addiscat, ut ex iis corporis functiones laesas cognoscere possit! Ita ad unum omnes STAHLII sectatores clanitant.

3.

Nos vero, ex modo dictis perspicentes, mysticorum vel ignorantiam vel desidiam peperisse istud studii anatomici odium, merito nobis nostroque aeo possumus gratulari, cum resuscitata atque a magnis ingenii

²⁾ Id. de usu part. lib. VI. p. 436.

³⁾ Id. de sectis ad eos, qui introduc. p. 13.

⁴⁾ Paracels. paramir. lib. II. p. 30. (Opera, Bücher und Schriften, fol. Strasb. 1618.)

⁵⁾ Stahl. theoria medic. vera, p. 62. (Hal. 1708. 4.)

ingeniis exculta anatome insignibus condecorata fuit incrementis. Naturae latebrae non solum amplius et uberius indies revelantur, sed copiosissima quaeque patet applicatio observatorum ad declarandos morborum eventus.

Eminet vero dignitate et usu inter ceteras anatomiae partes *nervo^{la}gia*, quippe quae nervorum originem et distributionem abunde doceat, atque nostris temporibus praesertim aucta fuerit variisque ditata novis inventis et observatis. Dignissimam hanc puto et utilissimam anatomiae partem: usumque eius et dignitatem ad explicanda morborum symptomata in hoc specimine inaugurali illustrare mihi proposui.

4.

Cum corpus humanum non mera sit machina, sed sensum et motum producat, hunc quidem a motu machinarum longe diversum, quippe qui effectus sit sensationum praegressarum; in explicanda corporis mutationum et affectuum ratione necessariam esse attentionem ad instrumenta sensuum et motuum, sequitur. Solis vero nervosis partibus inesse vim sentiendi, hasque solas nominari debere sensibiles, experimenta bene multa ipsaque ratio suadent.⁶⁾ Motus quoque muscularum et fibrarum irritabilium absque nervorum praesentia et vis nerveae influxu, qualiscunque demum illa sit, perdurare non posse, observationes docent vetustissimae et fere innumerae.⁷⁾

Morbus quivis sensationibus manifesto ingratis et dolorificis stipatus affectum nervorum supponit: medicus itaque, qui rationali studet morborum cognitioni, loca

6) Haller, element. physiolog. vol. IV. p. 292.

7) Ib. p. 320.

loca affecta, i. e. nervorum originem et commercium cognoscere debet, qui in hoc morbo patiuntur.

5.

Praeprimis vero hoc valet de morbis quibusdam speciatim dictis nervosis, ubi vel totum sistema nervorum, vel una alterave propago tantum laborat, ubi itaque morbus debellari nequit, nisi prius cognita hac systematis nervosi propagine, quae sedein morbi constituit. In paralyticis hanc inquisitionem sedis morbi maxime necessariam esse, vetustissimi iam auctores, et inter eos ALEXANDER, a patria TRALLIANUS dictus, agnoverunt. Hic enim, cum de caussa resolutionum loquitur, consulto admonet lectorem:

„Attendito igitur diligenter, quae sit pars affecta, et
 „unde initium trahat, aut a qua vertebra id aut nervo
 „recipiat; atque illi curationem adhibeo: non autem,
 „ut vulgo, symptomatibus tantum obssitio. Itaque reso-
 „lutas particulas sic internoscere convenit, animum scien-
 „tiae anatomicae advertendo., „⁸⁾)

6.

Sed maius adhuc supereft argumentum, quo usus et dignitas nevrologiae ad explicanda morborum symptomata comprobatur. Scimus enim ac pro comperto habemus, ne ullam quidem mutationem fluidorum contingere posse, nisi prius afficiantur organa fluidum istud fecernentia. Quicquid enim in effectum agit, id in caussam coexistentem primitus agere oportet. Cum autem fluida, viribus vivis destituta, reactionem in caussas morbificas exercere non possint; harum actionem unice ad solida et quidem viribus sentiendi ac movendi praedita reduci debere necessario sequitur.

Suo

8) Alex. Trallian. lib. I. c. 16. p. 88. (ed. Guinth. Andern. 8.
 Basil. 1556.)

Suo iam tempore egregie hoc demonstrare conatus est summus HOFFMANNUS.⁹⁾ Primo enim respicit ad affectus animi, quorum efficacia in solidas atque nervosas partes impetuosa est ac vehemens, qui itaque temperiem ac crasis humorum mirifice mutare valent. Ira e. g. quot quantaque momento saepe citius non bilis tantum, sed et lactis nutricum producit vitia! Has vero mutationes interventu solidorum nervosorum fieri nemo inficiabitur, qui animi pathemata maxime in *systēma nervosum* agere cognoverit.

7.

Nostrorum quoque temporum egregius auctor¹⁰⁾ variis eamdem veritatem illustrare studet exemplis, quibus plurima alia adiungere licuerit, ut pateat, quanta sit animi pathematum in mutandis fluidorum crasisbus efficacia.

Quanta insuper est ac quam vehemens *dolorum* operatio in fluidas partes! Qui cum systematis nervosi sint affectus, nova patet ratio, cur fluidorum mutationes a passionibus systematis nervosi derivare debeamus. In dentitione infantum difficiliiori nihil occurrit frequentius, quam quod in paroxysmo faeces antea naturales et bene coloratae, virides et corrosivae, cum acerbis torminibus et flatuum impetu, non sine convulsionum metu, secedant, dubio procul, quod a spasmis per dolorem gingivarum excitatis, ipse stringatur ventriculus cum tenui intestino, et lac diutius contentum ingentem corrosivum acorem contrahat, et a bile admixta viridis emergat color.

8.

⁹⁾ Med. ration. system. vol. III. sect. 2. c. 6. §. 4. f. p. 117. f.
(4 Hal. 1732.)

¹⁰⁾ Analyse des fonctions du système nerveux par Mr. de la Roche, Vol. I. p. 10.

8.

Nonne etiam a *spasnis* frequentissimae fluidorum corruptiones? Ipsí quidem spasni fibrae irritabilis proprie sunt affectus, referri tamen non sine ratione posunt ad systema nervosum, quoniam fibrae irritabilis actio necessario requirit stimulum nervosum, tanquam caussam excitantem, cumque arctissimus semper fibram sensibilem intersit et irritabilem nexus. A spasnis primarum viarum oriuntur pleraque fordes, quod HOFFMANNUS quoque innuit his verbis: "Liquido patescit, spasticas in morbis quae urgent affectiones maiorem obtinere succos corrumpendi iisdemque impuritatem conciliandi potentiam, quam ipsa incongrua et intemperata alimenta, paulo largius etiam sumta, modo excretiones, maxime per alvum et sudorem, vigeant." A spasnis abdominalibus oriuntur infarctus, pessima morborum nervosorum scaturigo: a spasnis systematis cholopoeitici bilis ea corruptio, quae et fidem faepius superat. A spasnis denique cutaneis depravantur humores per vasa cutanea exhalandi, quasi a veneno vel maxime corrosivo infecti fuissent.

9.

Atonia denique et *debilitas* systematis sensibilis et irritabilis princeps fere caussa est corrumpendorum humorum. Qualis enim quantaque sequitur sanguinis et omnium humorum depravatio prostrationem virium, quae in insultu febris putridae adest! Qualis quantaque bilis et succi gastrici corruptio debilitatem systematis gastrici et hepatici! Hinc itaque fit, ut in pathologia aequa ac in praxi medica ex nervosarum partium affectionibus plurima declarare possimus morborum symptomata.

10.

ii) L. c. §. 8. p. 121.



Quodsi, quae modo dixi, amplius atque uberioris illustrare licet, praecipue respiciendum est ad propagationem sensationum morbosarum ex altera parte ad alteram, seu ad sic dictas *metastases*. Hae enim nihil aliud esse videntur, nisi sequelae morbosae alienarum partium a consensu nervorum pendentes. Quamvis innumera fere existant tentamina, miram hanc, quae singulas, vel maxime dissitas partes corporis intercedit, confessionem explicandi, tantum tamen abest, ut variis his theoriis assentiri possimus, ut potius unice consensui nervorum adhaereamus. Quaecunque propagatio sensationis morbosae per nervos fieri tantum potest: cumque metastasis quaevis sensatione aliena sit stipata, illa quoque ope nervorum excitari debet. Si vero ad functionum analogiam aut ad communionem vasorum aut membranarum respicere studes, nihil impedit, quominus iterum refugium pateat ad nervos, quorum ope functiones exercentur, ipsaque vasa et membranae organicae partes flunt.

Dum speciatim varii recentiores pathologi ad continuitatem aut communionem membranarum rediunt consensem, boni viri quid sibi velint, nescire videntur. Ecquae enim membrana sentire potest? Ecquae itaque propagare sensum? Deinde vero non considerant, se male tantum intellectam BAGLIVII theoriam proferre, qui, veterem illam de nervorum ex menygibus ortu et de propagatione menygium per totum corpus revocans, ex membranarum a menygibus ortarum oscillationibus et sensum et motum explicare conabatur.¹²⁾ Cum in dura cerebri menynge ipsas fibras quaereret musculofas, has creditit

mo-

12) Bagliv. de fibra motrice, c. 9. p. 332.



motuum omnium per totum corpus animale propagatorum origines:¹³⁾ atque inde omnibus membranis naturam sensibilem tribuere non erubuit. Membranae itaque **BAGLIVIANAE**, tanquam verae propagines menyngeum, longe distant a membranis nostris, sola cellulari tela conflatis.

12.

Qui nuperis temporibus ex irritabilitate partium, et ex gradu vel vario vel eodem in variis partibus phaenomena consensu explicare sibi sumferunt:¹⁴⁾ ii multo plura vi insitae tribuisse, quam re ipsa liceat, merito culpantur. Namque sensatio, plane aliena a fibra irritabili, per hanc quoque propagari nequit. Precaria insuper assumptio esse videtur, quod eadem capacitas fibrae irritabilis in diversis et remotis partibus propagationem morbi necessario supponat.

13.

Nihil itaque restat, nisi ut ad nervos refugiamus, si explicare et consensum et propagationem morborum cupimus. Quaeritur autem prius, utrum per solam nervorum cohaesione ramusculorumque nexum, an ope ganglionum, sive per cerebri reactionem potius consensus nervorum, atque propagationem morborum sit explicanda? Ne autem in tam difficulti argumento lectores proloquo exanimem, ut **PLAUTUS** ait, ad caussae momentum veniam, brevitatiique studens quid sentio, libere dicam.

14.

Primo itaque de nexu nervorum atque cohaesione ramorum, tanquam ratione phaenomena explicandi morbosa.

Non

13) *Bagliv. de fibra motrice, c. 9. p. 273.*

14) *Girtanner in Gren's Journal der Physik, B. III. H. 2. S. 333.
Micell in Schlegel sylloge opusc. de sympathia, p. 149.*

Non nego, MORGAGNIUM immortalem verissima loqui, dum crebrius, quam vulgo putatur, variare connexiones nerveorum ramorum docet, praeterea que existimat, non omnia phaenomena, quae per certas nervorum connexiones vulgo explicantur, ita explicanda esse, sicuti vicissim nonnulla per easdem explicanda esse iudicat.¹⁵⁾ In constantibus itaque nervorum nexibus ratio erit quaerenda sympathicorum praesertim, aliorumque symptomatum: neque ea nervorum connubia in censum veniant, quae nonnunquam tantum observantur, saepius vero absunt. Ramus biventricus facialis nervi communicantis non raro surculum mittit ad accessorium WILLISII, qui vero, cum saepius deficiat, non ad explicanda phaenomena morbofa adhiberi posset. Quodsi autem perpetuo duo nervi intime sunt iuncti, ex hoc commercio propagatio dolorum et morborum ex altera parte in alteram optime venit declaranda. At cavendum in hac sympathia: ne eam vice versa assumamus, cum raro ita eveniat. Pruritus glandis excitatur a calculo vesicae, sed dolores regionis hypogastricae nonnunquam excitantur a pruritu vesicae.

15.

Deinde caveant, quicunque ex nexu nervorum propagationem sensationum morbosarum explicari co-nantur, ne veram anastomosis ramusculorum assument. Haec enim deesse in nervis videtur, cum subtilissime dissecti nihil ostendant, nisi compagem filamentorum tenuissimorum, forte solidorum, in quibus saltem nulla cavitas detegi potest. Quodsi etiam vera adfuerit anastomosis, nonne magis confunderetur sensatio, neque propagaretur distinete ad partem alienam?¹⁶⁾ Magni

15) Morgagni adversar. anatom. lib. II. n. 37. p. 76.

16) Whytt's praet. Schriften, S. 274. — Isenflamm über die Nerven, §. 42. §. 130.

Magni momenti quoque haec animadversio videtur. Nexus nervorum non sufficit ad explicandas morborum propagationes, nisi simul in parte denuo afficienda caussa lateat, quae morbum huc potius quam aliorum determinat. Haec quidem caussa velut occasionalis potest considerari, nexus nervorum vero tanquam praedispositio. Occasio ista potest vocari, quicquid stimulum praebet, vel debilitatem in parte afficienda producit. Exemplo rem illustraturus, ophthalmiam aut oculorum dolorem in sordibus gastricis omnino explicaverim ex arcto nexu intercostalis cum quinto pari. Iste quidem plexum solarem formaturus arcte necatur, ope Vidiani, cum ophthalmico frontali: sed aequa arctum init connubium cum maxillari inferiori, imo cum faciali communicante. Cur itaque non potius odontalgia aegrum faburra gastrica laborantem affligit? Quia in oculis iam residet vel stimulus, vel debilitati iam antea fuerunt: quo factio facilius huc quam aliorum morbus propagatur. Interea non negandum, saepius seminum sic dictum naturale sufficere, ut morbus in hanc potius partem determinet. Oculis enim stimulo qualicunque destitutis, sequitur tamen ophthalmia; tunc vero caussa occasionalis per nexus nervorum agens violentius agit. Orgasmum producens superiora petet, ideoque etiam oculos, adeo copiosis nervorum frondibus per-textos, afficiet.

16.

Ut vero, quae modo protuli, manifestioribus adhuc illustrentur argumentis, observationes nonnullas adiungam, quibus elucebit, quam amplum huius nervorum nexus sit dominium, quot quantaque morbosphaenomena inde possimus enubilare.

Quod quidem ad primitivos encephali nervos attinet, par *quintum*, *faciale* et *vagum* copiosissimorum nexus

nexuum et inde oriundi gravissimi consensus fontes esse
videntur. *Trochlearis vero, opticus et acusticus* pauca
tantum connubia inire solent. Ex connexionibus
quoque quinti, *facialis et vagi* plurima et naturalia
et praeternaturalia phaenomena dilucide explananda
veniunt.

17.

Rijum et fletum immortalis iam **CAMPERUS** pauci-
cis, nec sat claris verbis ex affectis originibus nervi
facialis et quinti optime explicari posse contendit.¹⁷⁾ Quam sententiam cum auctor non amplius et uberior
illustraverit, brevibus tentabo stabilire atque obser-
vationibus probabilem reddere hanc hypothesin. Po-
namus itaque, dum risus excitatur, affici eam par-
tem cerebri, unde *facialis* originem suam dicit: se-
quitur, *musculos faciei*, quibus *facialis* prospicit,
maxime irritari debere. *Zygomaticus maior*, *levato-
res labii superioris*, *anguli oris et alarum nasi*, *riso-
riusque SANTORINI* maxime afficiuntur, dum ridemus.
Diducuntur cum orbiculari oris et cum orbiculari
palpebrarum, ut labia oris simul diducantur et oculi
conniveant. Fenerat autem ramus *facialis* superior
paris *facialis* communicantis, praecipue zygomatico
maiori energiam: transit cum faciali medio ad leva-
tores labiorum et anguli oris, ad *musculum epicra-
nium*, iungitur quoque cum *nervo infratrocchleari* ex
primo ramo quinti *paris*. Hic vero *infratrocchlearis*
simil prospicit orbiculari oculorum et organis lacri-
malibus, unde faciliter explicantur lacrimae, quae
saepius in cachinno vehementi ex oculis prorumpunt.
Deinde vero ad ansas respiciendum est, quas *facialis*
superior et medius circa venam facialem formant.

Licet

17) *Sömmerring's Hirn- und Nervenlehre*, §. 97. §. 82.

Licet enim WILLISIO¹⁸⁾ et VIEUSSENIO¹⁹⁾ assentiri nequeam, qui vere constringi his laqueis nerveis et arterias et venas credunt: non possum tamen, quin in his ausis arête venas faciales cingentibus rationem quaeram ruboris faciei orti ridendo. Forsan etiam a muscularum validiori tantum actione et a respiratione incitata circuitus sanguinis auctus hunc ruborem producit. Respiratio frequens, sonora et quasi convulsiva pendet a communione facialis cum phrenico et sympathico. Ramus enim occipitalis profundus ex faciali duobus surculis arctum init connubium cum ramo anastomotico auriculari ex tertio cervicalium, quod citato loco²⁰⁾ perbelle expressum videamus. Ex tertio autem cervicalium, cum hypoglosso et vago oritur phrenicus, qui in diaphragma dispersus inspirationem frequentiorem, imo convulsivam, producet. Impressio propagata in vagum sonos et cachinnum commovebit, qui fortiore risum comitari solent. — Hinc quoque patet, risum posse excitari impressionibus fortioribus in nervum phrenicum, et in propagines paris vagi. Hinc risus fardonius in dentitione difficiili infantum. Hinc periculum risus fardonii in morbis nervosis.

18.

Transeo ad *fletum*. Ponamus, in hoc affectu pati vel maxime eam cerebri portionem, unde par trigeminum, seu quintum, originem suam petit, i. e. ex lateribus pontis Varolii. Afficiuntur itaque rami simul trigemini, qui ad oculos, musculos faciei et ad intercostalem transeunt. Arctissimae, quas ineunt rami subcutanei malae et infraorbitalis, combinatio-

nes

18) Cerebri anatome, c. 22. p. 176. (12. Amst. 1664.)

19) Neurograph. p. 182.

20) Meckel et Peipers diff. sistens tertii et quarti nerv. cervical. descript. 4. Hal. 1793. (fig. no. 13. 14.)

nes cum ramis facialis seu duri, cauſas puto, cur fletus risui affinis ita sit certis faciei ductibus, ut nonnunquam initio aegre distinguere possis, velitne homo flere an ridere. Zygomatici enim, levatores alarum nasi, anguli oris et labiorum, orbiculares oris et oculorum simili modo afficiuntur, cum commercia arcta sint inter facialis ramusculos et frondes quinti paris. Magis vero afficitur corrugator superciliorum cum musculo epicranio, quibus ex nervo frontali et supratrochleari ophthalmico-frontalis energia communicatur. Musculus itaque epicranius caperatur, supercilia corrugantur, et oculi diducuntur sive connivent magis. Labium quoque inferius magis a dentibus diducitur et prominet, cum depressoſ labii inferioris et anguli oris praecipue agant: ad hos autem transgrediuntur ramusculi ex buccinatorio nervo et maxillari inferiori; qui iterum arcta neſtuntur cum furculis facialis atque secundi rami quinti paris. Cur deinde lacrimae copiosius atque uberioris affluunt, si flemus, quam si ridemus? Respondeo, quia in fletu magis afficitur ramus lacrimalis proprius ex primo ramo quinti paris, cum in risu tantum infratrochlearis ex narino ramo, qui ad carunculam lacrimalem et ad lacum lacrimarum transit, sympathice per facialem communicantem, affici videntur. Superest, ut suspiria et longam difficilemque inspirationem, imo et singultus explicemus, qui fletum comitari solent. Oriuntur autem meo iudicio ex affectionibus intercostalis et coniuncti cum eo phrenici. Ille vero cum ramo Vidiano secundae frondis quinti paris arctum init connubium in canali carotico.

19.

Alia adhuc adducere libet symptomata, maxime morboſa, quae usum cognitionis nexuum, quo furculi nervorum primitivorum cohaerent, illustrare poſſunt.

B 2

Ecquid



Ecquid frequentius est, quam oculos simul pati, dum dentes dolent, lacrimas copiosas effundi, imo rubore coniunctivam suffundi? Praefertim vero hic oculorum affectus observatur, dum canini, incisivus et molaris, caninis proximi, prorumpunt. Unde hoc? Vulgus incium credit, radicem dentium caninorum ad orbitam usque progrexi, sed haec opinio adeo manifesto falsa est, ut nulla refutatione indigeat. Sola nevrologia lucem nobis fenerat ad communionem inter oculorum externas partes et dentes caninos, incisivos et molares (caninis vicinos) cognoscendam. Frons nempe infraorbitalis ex secundo ramo quinti paris inter laminas apophyseos orbitalis ossis maxillaris superioris orta discedit mox in dentalem anteriores et palpebralem inferiorem, quorum ramorum ille in dentes maxillae superioris transit, hic vero ad palpebram ascendens, iungitur cum ramo nasali et in carunculam lacrimalem transit.

Ecquid magis notum est quam mirabilis, quae aures interest et dentes, sympathia, quae vel in odontalgia auditus nimiam intensitatem, aut, duin caries simul iungitur, ipsam surditatem producente; vel in fono ingrato, quem brevia vitra ferramentis rasa edunt, stuporem dentium excitante manifestatur?²⁰⁾ Unde haec communio sensationum? Sufficitne tuba Eustachiana ad propagandas passiones? — Minime! Ni*si* nervorum intercedat commercium. Adeo autem insigne eiusmodi commercium inter maxillarem inferiorem aut potius lingualem gustatorum tertiae partis quinti paris ramum et facialem, ope nervuli, retro musculum pterygoideum externum descendens, ex trunco facialis communicantis orti et ad angulum acu-

²⁰⁾ Haller Elem. physiol. vol. IV. p. 321. — Linder in act. literar. Suecic. ann. 1724. p. 536. — Analyse des fonctions du syst. nerv. par la Roche, vol. I. p. 182.

acutissimum linguali gustatorio ramo inserti. Hic nervulus, *chorda tympani* dictus, ad internas organi auditorii particulas transiens, omnino communionis insignis caussa erit inter auditum et oris cavitatem.²²⁾

20.

Unde stupor dentium in operatione fistulae lacrimalis?²³⁾ Sine dubio discindebatur palpebralis inferior surculus ex ramo infraorbitali secundi ramī quinti paris: hic palpebralis inferior, iunctus cum surculis ex faciali communicante et ex infratrocleari, intrat carunculam lacrimalem et facci lacrimalis membranam. Simul vero cum palpebrali inferiori oritur, ex infraorbitali dentalis anterior ramus, sicut iam supra dictum est. Laesio itaque istius etiam hunc afficere necessario debet.

21.

Minime porro flocci pendendus nexus intercostalis, seu sympathici maximi, cum quinto pare et vago: insignia enim inde declarantur symptomata morborum. Exemplis hoc illustrator. Status verminosus producit pruritum in narium interna membrana, saepe quoque olfactum adeo depravatum, ut odores fere cadaverosos, saltem putridos, sentiant aegri. Enubilanda haec symptomata mihi sumo ex arcto connubio, quo intercostalis nervus cum Vidiano necitur. Surculus profundus Vidiani in canali carotico accedit ad ramuscum paris sexti seu abducentis, formaturus propaginem, quam alii originem seu radicem, alii finem nervi intercostalis appellant. Ex eodem autem ganglio spheno-palatino, e quo nervus Vidianus oritur, disperguntur quoque nervi nasales posteriores in-

ex-

²¹⁾ Meckel de quinto pare §. 100. fig. I. (x.)

²²⁾ Scarpa annotat. academ. lib. I. §. 14. p. 21.

externi, in membranam SCHNEIDERI, tam supra septum quam supra conchas expansam. Impressiones itaque fortiores in plexus intestinales nervi splanchnici ex intercostali prodeuntis facilius propagantur in ramificationes nervi Vidiani, quam in alios nervos. Olfactum quoque inde depravari posse haud difficultatem parit, si modo consideraveris, olfactorium seu primum par non unicum esse organum olfactus, sed quinti paris quoque ramusculos. 24)

22.

Num etiam febris catarrhalis ex nexu secundi rami quinti paris cum intercostali, ac, ope eiusdem, cum spinalibus omnibus, tanquam cutaneis nervis, explicari potest? — Videant iudices aequi, accedatne sententia mea ad veritatem. Minime enim, tanquam assertionem certam profero, sed velut conjecturam hominis minime falli nescii. Refrigerium quodvis producit affectionem systematis cutanei, quae sensatione ingrata, horrore per totam cutim, illico manifestatur. Haec affectio itaque in partibus nervosis residet. Cisisime saepius hanc praegressam affectionem sequitur vocis raucitas, pruritus et nimia sensibilitas membranae nares internas vestientis; sequitur gravedo, dolor obtusus in radice nasi et in orbita. En initia catarrhi! Nonne et haec symptomata affecti systematis nervosi? Materia autem perspirabilis hoc momento, quod saepius tantum refrigerium et sequentein catarrhum intercedit, resorberi, atque, per totam humorum massam migratione mirabili peracta, in nares aut in vocis organa delabi nequit. Ergo refat refugium ad secretiones succedaneas: i. c. ad sympathicas secretiones humorum similium iis, qui in organo alieno suppressi erant. Ob nexus nervorum nariorum cum intercostali, cum spinalibus omnibus, qui cutis maximam par-

24) Haller, elem. physiol. Vol. V. p. 177.



partem percurrunt, praecipue communicatur naribus passio systematis cutanei: in naribus itaque secernitur id, cuius secretio incute suppressa erat, absque ulla migratione humorum suppressorum. Cur autem vocis organum toties affigitur a refrigerio? Quia recipit larynx nervos a pare vago potissimum, quod iterum arte necritur cum intercostali, atque huius ope, cum spinalibus.

At, quaenam adest cauſa, cur passio cutanei systematis propagatur potius ad vias aeriferas, quam ad alia organa interna? Quia in his subiectis, catarrho afficiundis, debilitas seu proclivitas et narium et organi vocalis ad maiorem irritabilitatem aut sensibilitatem adsunt. Quae si in aliis organis insignior fuerit, huc quoque aequa in vias aeriferas transit passio cutanea. Hinc inflammations omnino organorum vitalium et digestioni inservientium sequuntur repressam transpirationem, si dispositio organorum illorum urget. Hinc metastases omnes ex eodem fonte declarandae veniunt, tanquam secretiones succedaneae in organis alienis diffitisque, sed nervorum connubio iunctis. ²⁵⁾)

Transeo iam ad aliud exemplum, quod dignitatem et usum nevrologiae indigitabit, ad theoriam *hygrophobiae*. Symptoma essentiale huius morbi deglutitio impedita esse videtur cum horrore potulentorum reliquorumque corporum, quae ideam aquae aut fluidorum excitare valent. Simul vero scapulas aegri videmus violenter sursum et retrosum trahi: queritur aeger, dum tentat aquam deglutire, spasticam constrictiōnem, dolorificam, formicatione iunctam, quae ex praecordiis orta transeat in pharyngem ac laryngem, eodemque momento caput aegri antrorumque violenter deprimit.

²⁵⁾ Ita iam iudicat immortalis Fr. Hoffmannus (medic. ration. system. vol. III. sect. I. c. II. §. 12. p. 247.)

deprimitur. Ubi itaque sedes morbi, ecquis locus affectus? Nonne *accessorius WILLISII* potissime pati videtur? Huius enim nervi ramus interior cum pare vago intime cohaerens emittit nervum pharyngéum, format quoque ganglion, cuius filamenta intimé mixta videntur ex propaginibus paris vagi atque *accessorii*.^{*)} Externus vero *accessorii* ramus pone iugularem venam internam curvatus intrat sternocleido - mastoideum, deinde vero cervicem petens, iungitur cum ramis secundi et tertii paris cervicalium ac finitur in cuculari musculo.²⁶⁾ Cucullaris retrahendo scapulam agit, sternocleido - mastoideus vero deprimendo caput: hinc itaque, cum simul pharyngis constrictor valde afficiatur, symptomata pathognomonica morbi declarantur. Arête cohaeret *accessorius WILLISII* cum pare vago: hinc itaque, et a connubio cum intercostali et cervicalibus sympathica phaenomena sunt explicanda, quae in paroxysmo hygrophobico observantur. Respiratio suffocativa et summa anxietas supponit affectionem phrenici, et diaphragmatis, cui ille nervus prospicit: hic autem a tertio et quarto cervicalium oriundus arctam sympathiam producit cum accessorio *WILLISII*. Priapismus et ipsa pollutio saepius accidunt, quia plexus spermaticus et mesentericus infimus sive hypogastricus sentiunt simul impressionem, quae in *accessorium WILLISII* primitus agebat.²⁷⁾

24.

Nexus itaque ipse nervorum multa declarat phaenomena morborum et praecipue sympathica. Quaerendum tamen secundo: an gangliorum ope haec sympto-

^{*)} Scarpa in Abhandl. der Joseph. Akadem. der Chirurg. B. I. S. 401.

26) Lobstein de nervo spinali ad par vagum *accessorio* §. 28. 29. —

27) Coopmans nevrolog. §. 293.

symptomata melius possint explicari, cum a nonnullis auctoribus velut cerebella secundaria aut tanquam corcula, energiam nervis largientia, considerentur?

Hic quidem primo notetur, corpora haec olivaria, rubicundo-pallida, quae in decursu nervorum filaments plura coniungunt atque iterum dispergunt, nunquam inveniri in quibusdam nervis, velut in optico, trochleatore, abducente, faciali, paucissima in nervis extremitatum. Inveniuntur vero uberrima in spinalibus, intercostali, trigemino, atque oculorum motorio.

Structura iam olim a **LANCISIO** ²⁸⁾ nuper vero a **ZINNIO** ²⁹⁾, **MONROO** ³⁰⁾, **SCARPA** ³¹⁾ et **HAA-
SIO** ³²⁾, egregie examinata ad varias de usu eorum theorias occasionem praebuit.

25.

LANCISIUS deceptus sine dubio filamentis nerveis copiosis, quibus pertexuntur ganglia, musculosam ipsis tribuere structuram, atque, de rubro colore ad ubertatem vasorum sanguiferorum concludens, secretionem aliquam secundariam spirituum in iisdem statuit, cui quidem opinioni non plane adversarium se praebet **MORGAGNIUS**. ³³⁾ **ZINNIUS** communisci in gangliis filamenta medullaria, atque sensationem in uno ramo nervorum ingredientium perceptam transire ad omnes nervos exeentes arbitrabatur. **J. F. MECKELIUS** vero tripli-

28) *Morgagni* adversar. anatom. vol. V. p. 105. 108 f.

29) Mémoires de l' acad. des sciences à Berlin. A. 1753. p. 138 f.

30) Ueber die Structur und Verricht. des Nervensystems, Hauptst. 19, S. 36 f.

31) Annotat. academ. lib. I. p. 11 f.

32) De gangliis nervorum, in *Ludwig* scriptor. nevrol. vol. I. p. 73.

33) Adversar. anatom. vol. II. n. 34. p. 71.

œm primus usum gangliis assignavit: primo ut nervus in plures dividatur, *deinde*, ut variis directionibus nervi ad partes dissitas propagentur, post, ut plures parvi in unum nervum congregentur. ³⁴⁾ Refutavit porro immortalis incisor opinionem LANCISII, observatione multo durioris substantiae gangliorum, quam corticis cerebri: unde nullam similem in iis fieri secretionem optime conclusit.

Consensum vero fieri ope gangliorum, absque animae interventu, strenue docuit UNZERUS, ³⁵⁾ negavit WHYTTIUS ³⁶⁾ ea praesertim ratione, quod magis confunderetur sensatio quam propagari posset. Cerebella autem subordinata esse, quae varias partes voluntatis imperio privare atque a cerebri ipsius dominio liberare possint, arbitratus est JOHNSTONIUS, ³⁷⁾ cui haud pauci adstipulantur autores, ³⁸⁾ MECKELII immortalis negligentes observationem, quod haud adeo analoga sit corticali substantiae cerebri structura gangliorum. MONROI vero inquisitio ad confirmandam MECKELII sententiam praecipue militat, licet alienas inde faciat conclusiones. Credit enim, ganglia opitulari ad augendam nervorum energiam, et similitudinem adesse memorabilem inter glandulas lymphaticas et ganglia nervorum.

26.

Confirmavit quoque MECKELII sententiam eximus auctor SCARPA, qui praeterea, haudquaquam esse

34) Mém. de l' acad. des scienc. à Berlin, A. 1749. p. 91 f.

35) Physiol. der thierischen Natur, S. 136.

36) Praktische Schriften, S. 274.

37) Ueber den Nutzen des Nervenknoten, 8. Stettin 1787.

38) Metzger hist. nervor. in opusc. anatom. p. 91.

esse substantiam corticalem cerebri, qua ganglia re-pleantur, sed meram telam cellularem, docuit. Hanc quidem oleoso humoris similem esse in corporibus obesis, in hydropicis vero idem serum videri, quod et alias cavitates telae cellularis impletat. Hoc quoque HAASIUS confirmavit, decursum vasorum in gangliis distinguens simul a vasculosa structura cerebri. Filamenta nervea facere reticulares plexus, plurimos in unum coire atque unum iterum in plurimos variis directionibus dividi. Hunc esse usum gangliorum, neque sympathiae inservire posse, cum phaenomena sympathiae saepius in iis organis animadvertantur, quorum nervi gangliis omnino sint destituti. ³⁸⁾) JOHNSTONII theoriam eo quidem respectu falsam esse, quod alioquin omnes partes, quae praeter voluntatem contrahuntur, vel omnes nervos vel saltem plurimos, a nervis acciperent: contrarium autem probare arterias et ventriculum. Licet enim non negandum sit, ventriculo etiam ex ganglio semilunari et plexu coeliaco nervos porrigi; eorum tamen, si cum ramis paris vagi ad ventriculum divisis eos compares, exiguum esse copiam, et motum ventriculi, eiusdemque in alimenta actionem maiori ex parte pari vago tribuendam esse. Sensum quoque manifesto non infringi, neque celeritatem vis nerveae imminui ope gangliorum docet.

27.

Nonne itaque ex caussis sympathiae ganglia excludenda? Imo videntur saepius eam producere confusioneum sensationum, ut distincte aeger non possit locum dolentem indigitare. In hepatitide saepius dolor adeo adeo diffusus per totam abdominis superficiem, ut nullam fixam habere sedem videatur.

Nuper

³⁸⁾ Ludwig script. nevrolog. vol. I. p. 85.



Nuper ex gangliis theoriam novam somni et apoplexiae deducere cvidam placuit, quae, satis quidem ingeniosa, contradicit tamen observationibus circa structuram gangliorum. Creditum enim est, energiam in gangliis generatam haud quaquam a cerebri influxu dependentem perdurare posse, quamvis cerebri ipsa actio suspenfa sit. Cum autem fons systematis sanguiferi obtineat nervos cardiacos gangliis interceptos, omnino posse vitales superstites esse functiones, dum cerebri functio penitus supprimatur. Assentiri huic hypothesi non possumus, cum structura gangliorum ea non sit, quae novam nervis energiam, a cerebro non pendentem, tradere possit.

28.

Singularis omnino atque mirabilis est oeconomia naturae, quae dimidia parti nervorum omnium, qui ad musculosa organa migrant, et ex medulla spinali oriuntur; ganglia denegavit, dimidia parti vero largita est. Fasciculi enim nerui posteriores ex medulla spinali prodeentes prius non ununtur cum anterioribus, quam proprium permeaverint ganglion. 39) Nonne hinc paralyses partiales et hemiplegiae egregie explicandae?

29.

Venio iam ad tertium disquisitionis momentum, quid nempe de reactione sensorii communis necessaria ad propagandas sensationes morbosas iudicari possit. Varia enim phaenomena sympathica in iis organis observantur, quorum nervi nullo peculiari nexu iuncti sunt. Haec quidem symptomata vel ex vicinia originum

39) Mouro l. c. p. 24.

num nervorum, vel ex reactione immediata cerebri declarari debent. Neque opus est, ut cum ASTRUCIO reflexionem sensationum ex nerveis funiculis in alios fines nervorum cerebri assumamus, quippe quae hypothesis nimis mechanica nihil explicat.⁴⁰⁾ Origines nervorum saepe adeo sibi proximae sunt, ut faciliter possit inde propagationem sensationum explicare. Par vagum e. g. et acusticum minime remotis originibus ex partibus medullae oblongatae lateralibus ita deducuntur, ut radicularum filamenta usque in quartum ventriculum possit quandoque prosequi. Diffusus autem uterque nervus in propria organa nusquam iterum ad se invicem accedit: itaque ex vicinia originis unice explicantur phaenomena sympathica. Mutitas fere semper cum surditate iungitur: rara enim sunt exempla, ubi muti simul acute audiunt. Auditus quoque cohaesio cum organis vocalibus et viis aeriferis aliis exemplis illustrari potest. Destillante in fauces catarrho aures fere semper prurigine corripiuntur et tussim iamiam adfuturam indicant.⁴¹⁾ Susurrus aurium praecedit symptomata nervosa, quae ex stimulis abdominalibus, ex vermis praecipue, oriuntur. Vomitum excitat sensus acutus in tympano. Vellicata tympani membrana tussis violentissima excitatur. Hinc quoque parotides criticae in febribus nervosis: hinc abscessus pulmonum critice migrant ad aures.⁴²⁾

30.

Insignis consensus, tot exemplis ac observationibus egregiis illustratus, qui uterum et maminas, partes

⁴⁰⁾ Haller elem. phys. vol. IV. p. 321.

⁴¹⁾ Rega de sympathia c. 18. p. 245.

⁴²⁾ Baglivi, de fibra motrice, p. 335.

partes genitales et organa vocalia intercedit, ex speciali nervorum nexu lumen nullum obtinet, sed explicandus venit ex originum vicinia, seu ex reactione cerebri. Quodsi per vasa sanguifera unquam propagatio sensationum posset explicari, via pateret manifesta inter utraque organa, ope epigastrorum et mammariorum, quae insignibus uniuntur anastomosibus. At iam antea ostendi, vasa sanguifera ea tantum ratione sensationes propagare posse, quod nervis continuis sint intertexta. Assumere itaque debemus nervorum vasa mammaria vestientium continuum decursum in vasa epigastria, cuius ope sympathiam inter uterus et mammae explicemus: sive ad reactionem cerebri immediatam respiciendum erit. 43)

31.

Criticum aliquid non raro inhaeret his sympatheticis phaenomenis, quod optime ex reactione activa cerebri et sensorii communis explicatur. Tumor serotinus et testiculorum solvit manifesto anginam parotideam: multoties quoque ex tussibus aridis et voce rauca inflammatio testium critica. 44) Quae quidem propagatio morbi, a migratione materiei morbosae aliena, ex reactione cerebri tantum deducenda esse videtur.

32.

Associatio denique idearum multum saepe facit ad producenda symptomata, quae aegre ex nexus nervorum explicari possunt. Confluit saliva in ore, dum remi-

43) *Anemaet de sympathia inter mammae et uterus in Schlegel opusc. sympath. p. 389.*

44) *Hippocrat. epidem. lib. II. sect. I. p. 78. Foes. — Laurent. histor. anatom. lib. VII. c. 4. p. 531.*

reminiscimur cibum suavem, quo olim vescebamur. Ex hoc quidem fonte STAHLIANI omnem sympathiam deducentes manifesto falluntur, cum ex sensorio communi aut ex animae imperio multa phaenomena sympathica omnino non orientur. Ecquis enim potest animae potestate tribuere symptomata morbosa, quae nonnunquam infcio et invito aegro observantur? — Quamvis itaque ex nexu nervorum non omnia luce meridiana clarius enubilare possimus, sed saepius ad reactionem immediatam cerebri refugere debeamus; egregium tamen est auxilium pathologiae, si nervorum cognitio praecedat, sine qua medicus rationalis saepius coecitate laborat.

Theſes.



annusq[ue] milie annis, minus studio tumiditatem
mentisq[ue] mentis invadit, etiamq[ue] sensus statim est, sed
non aetate, sed aetate, non aetate, sed aetate, non aetate,
non aetate, non aetate, non aetate, non aetate, non aetate,
T h e s e s.

1. Melancholiae symptomata, partim a rigiditate partim
a teneritudine fibrarum derivanda, ita sibi contraria vi-
dentur, ut quaevis theoria huius morbi claudicet.
 2. In infantum morbis eadem contradicatio inter laxitatem
et atoniam atque erethismum totius systematis nervosi
adest, quae curationis methodo etiam obnoxia esse
videtur.
 3. Extractum hyoscyami opio palmam non praeripit.
 4. Balnea tepida, tanquam roborantia, plerumque balneis
frigidis sunt preferenda.
 5. Inflammationum chronicarum existentia extra omnem
dubitacionis aleam est posita.
 6. Opinio de decussantibus se invicem nervis nec demon-
strata est, nec applicatu adeo facilis.
-

VB/P
PICA

2

41

DE
USU ET DIGNITATE
NEVROLOGIAE.

CONSENSU FACULTATIS ILLISTRIS,

PHI

M

GR.

IOAN

